

042

040

046

venit inculpandus. Addit tamen prudens Comes, illam, de qua
quaerebam, peregrinationem fore virtuosam, sanctam, laudabilem
ac praeutilem illis duntaxat, qui divinae intuitu laudis eam
assumerent, sed nimis fore periculosam illis, qui levitate ducti,
aut curiositate, aut seculi pompam, aut quandam vilem ac
transitoriam vanitatem finem ejus praestituerint. Haec ergo
generosi principis verba non modicum desiderium meum aug-
mentabant.

036

051

031

091

Alium quendam nobilem senem militem, qui etiam in
sancto sepulchro militiam ante plures annos acceperat, adii,
inquirens, quid mihi consuleret in hac re? Qui ex magno
cordis affectu in haec verba prorupit: Ecce, frater, scias pro
certo, si tanto non essem gravatus senio, nemo posset me
abiterata peregrinatione agenda retrahere. Nusquam enim
tantam Dei gratiam expertus sum, sicut circa loca redemtionis
nostrae. Videbatur enim mihi quotiens me ad orationem con-
tuli, coelum aperiri, et quasdam divinas mihi aliâs insuetas
dulcedines et consolationes infundi.

141

Post haec abii ad quoddam monasterium monialium, et
postulavi a Priorissa habere colloquium cum una sorore virgine,
vulgatae devotionis et singularis, ut plures opinantur, sancti-
tatis, cum qua antea saepe pro mea aedificatione colloquium
habui, vultum tamen ipsius numquam vidi. Huic virginis
propositum meum exposui. Quae quadam insolita hilaritate
perfusa respondit: Cito, cito, iter conceptum perficite, et
nequaquam ultra manete, et Dominus sit comes itineris vestri.
Haec virginis verba ita accepi, ac si de caelo sonuissent, et
mox inchoavi me ad evagandum disponere. Morabatur autem
tunc temporis Romae, in conventu nostro super Minervam,
quidam frater provinciae nostrae, mihi notus et familiaris, cui
scripsi intentum meum, petens, ut mihi Licentiam a Sanctissimo
Domino Papa, Sixto IV. impetraret. Et a reverendissimo
nostri ordinis Generali, Magistro Patre Leonhardo de Mansuetis
de Perusio, sine quorum primordiali licentia nemo de provincia
licentiasset me. Frater autem ille, ut bonus amicus, non
segniter egit, sed quantocius quae petieram impetravit, et
litteram testimonialem magistri generalis ordinis mihi misit, in

Ende

Anfang

